

Gloria Domini super te orta est.

Léctio libri Isaíæ prophétæ

60, 1-6

- ¹ **S**urge, illumináre, Ierúsalem, quia venit lumen tuum,
et glória Dómini super te orta est.
- ² Quia ecce ténebræ opérient terram
et calígo pópulos;
super te autem oriétur Dóminus
et glória eius in te vidébitur.
- ³ Et ambulábunt gentes in lúmíne tuo
et reges in splendóre ortus tui.
- ⁴ Leva in circúitu óculos tuos et vide:
omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi;
filii tui de longe véniunt
et filíæ tuæ in ulnis gestántur.
- ⁵ Tunc vidébis et illumináberis,
et palpitábit et dilatábitur cor tuum,
quia cónfluet ad te multitúdo maris,
fortitúdo géntium véniet tibi;
- ⁶ inundátio camelórum opériet te,
dromedárii Mádián et Epha;
omnes de Saba vénient,
aurum et tus deferéntes
et laudem Dómini annuntiántes.

Verbum Dómini.